AD

PUBLICAM EXPLORATIONEM PROGRESSUUM

QUOS

DISCIPULI PRIORUM QUINQUE CLASSIUM
IOANNEI HAMBURGENSIS

IN HUMANITATIS STUDIIS FECERUNT,

DIEBUS 9. ET 10. M. APRILIS HOR. MAT. IX. MDCCCXXXIX

INSTITUENDAM

ET AD

DECLAMATIONES IUVENUM ET PUERORUM

DIE 11. M. APRILIS HOR. MAT. X. AUDIENDAS

INVITAT

FRIDERICUS CAROLUS KRAFT,

THEOL. ET PHILOS. DOCTOR, IOANNEI HAMBURGENSIS DIRECTOR ET PROFESSOR.

INSUNT:

1. DE ORATIONIS A CICERONE IN SENATU NONIS DECEMBRIBUS HABITAE CONSILIO ET AUCTORITATE SCRIPSIT E. P. HINRICHS PROFESSOR.
2. ANNALES IOANNEI HAMBURGENSIS INDE A TEMPORE PASCHALI MDCCCXXXVIII USQUE AD FINEM ANNI SCHOLASTICI.

HAMBURGI 1839.

TYPIS DESCRIPSIT IOANNES AUGUSTUS MEISSNER, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII ET IOANNEI TYPOGRAPHUS.

De orationis

a

Marco Tullio Cicerone

in Senatu Nonis Decembribus

habitae

consilio et auctoritate,

praemissa brevi historia critica orationum quatuor Catilinariarum,

commentatus est

Eduardus Philippus Hinrichs,

Phil. Doctor, Ioannei Professor.

Hamburgi, 1839.

Typis Ioannis Augusti Meissneri, Amplissimi Senatus, Gymnasii et Ioannei Typographi.

annos, suspicio oborta est, seu potius obtrusit sese, neque hanc sententiam in lectione saepe repetita mutare potui. Rationes alio loco explicabo.“ Quod tum sperabat laetius otium, ad eiusmodi argumentum pertractandum necessarium, licet vita multis tempestatibus agitata praeceptori dilectissimo inviderit, ego tamen, qui et ipse ab eius disciplina profectus, in eam ipsam, cui ille tanta cum laude intelligentium praefuerat, docendi provinciam successi, non tacendum putavi nomen illius, qui ad quaestionem nunc quum maxime inter philologos agitatam quasi signum sustulit. Nam tribus demum annis post *Ahrensius*, Coburgensis Gymnasii Professor, eandem illam orationem, a Cicerone in Senatu Nonis Decembribus habitam, diversam fuisse ab ea, quam nunc inter Catilinarias *quartam* numeramus, quamquam non nominato, vel potius non cognito sententiae auctore, uberiore commentario probare conatus est. Qua de re quid ego sentiam antequam exponam, non alienum videtur ab huius scriptionis consilio, brevi narratione persequi quaestiones de *quatuor orationum Catilinariarum auctoritate*, inde ab anno 1802 agitari coeptas.

In hac parte commentationis meae incipiendum video a pervagato quodam inter homines doctos errore refellendo. Hodie enim plerique omnes, qui de hoc argumento scripserunt, utut in re ipsa diiudicanda dissentiant, in eo tamen consentiunt, ut totius quaestionis auctorem motoremque primum fuisse dicant criticorum principem, *Fridericum Augustum Wolfium.* At contrarium ex ipsis summi viri scriptis, cum nuperrima *Eichstadii* V. Cl. narratione comparatis, probari posse mihi persuasi. Wolfius enim in praefatione ad IV orationes a Marklando Ciceroni abiudicatas, a se novo commentario retractatas (a. 1801, p. XI.), *Rossium,* in libro Anglice contra Marklandum scripto, *satis ridicule* iudicat, cum aliis orationibus Ciceronis etiam *duas ex Catilinariis* in suspicionem *νοθείας* vocasse, hoc unum serio agentem, ut intelligeretur, quantam in licentiam

evasura esset illa argumentandi ratio. Idem in praefatione ad orationem pro M. Marcello a se Ciceroni abiudicatam (p. XXXIX. et XL.), quum postulat, si quis esset, cui perlectus commentarius videretur ipsum Ciceronem calumniari, ut is periculum faceret orationes pro Ligario et Deiotaro, *vel aliam quamcunque*, eadem ratione calumniandi, satis aperte indicavit, se, quo tempore haec verba scribebat (d. 15. Jan. a. 1802), de nullius orationis, praeter has quinque, tum Ciceronis habitae auctoritate dubitasse.

Primus igitur eam, de qua agitur, sententiam, quamquam non indicato nomine, proposuit *Marcellianae a Wolfio editae censor* in actis literariis Ienensibus. Cuius censurae quum nuper denuo auctorem se professus sit *H. C. A. Eichstadius*, ipsum audiamus philologum acutissimum et disertissimum, in *Quaestionum philologicarum specimine tertio, de orationibus Catilinariis*, Jenae a. 1837 emisso, rem omnem ordine narrantem. P. 9 „*Aug. Guil. Ernesti*, *Jo. Aug.* patruelis, clarissimus Livii editor, iussit me aliquando Ciceronis orationes in Catilinam ita relegere, ut si quid in iis discrepantiae a consuetudine dicendi Ciceroniana invenissem, sibi indicarem. Finita lectione *tertiam* dixi orationem tum a ceteris, tum ab oratoris more discrepare mihi videri. Tum ille non solum vehementer probare sententiam meam, sed alia quoque, quae me fugissent, diversitatis indicia monstrare, denique totam orationem festinantius a Cicerone fusam, neque ulla eius lima politam iudicare. Haud scio, an *Boettigero* cognita fuerit sententia Ernesti, cuius ipse scholis auditor olim interfuerat. Certe in prolusione ad loc. Cic. in Cat. 3, c. 8 et 9 (1791, opusc. p. 125) *de Catilinaria tertia* non dissimiliter iudicavit: „ „ea quamvis minori cura elaborata atque elimata videri queat, quam quae adhuc leguntur Ciceronis orationes reliquae, quippe quam orationem, quum totum diem in Senatu rerum suarum sategisset, advesperascente iam coelo, subito ac sine commentatione coram populo profuderit: nemo tamen,

qui accuratius illam cognoscat, et vel sententiarum gravitatem, vel verborum copiam et ornatum spectet, Ciceronem in illa desideraverit.““

Quae vero in tertia oratione animadversa a perfectione Ciceroniana discrepantia Boettigerum permovere non potuerat, ut, quam orationem in singulis partibus improbaret, eam universam Ciceronis eloquentia et ingenio indignam, adeoque a summo oratore abiudicandam censeret: ea apud Eichstadium adolescentem tantum valuit, ut de ipso auctore orationis dubitare inciperet. Hanc sententiam quum in censura orationis Marcellianae, modeste quidem et tamquam aenigmatice, significasset, primus inter philologos dubitationis de unius alteriusve e Catilinariis orationibus veritate dux quasi et signifer exstitit. Verba eius ad eam rem spectantia haec fuerunt (Allg. Lit. Zeit. 1802, Aug. p. 283): „Furchtsam, und nur im Vorbeigehen, legen wir hier unsere Ueberzeugung dar, dass, wo nicht mehrere Ciceronische Reden, doch *Eine unter den Catilinarischen*, einer ähnlichen Castigation der höheren Kritik bedürfe.“ Ad haec Wolfius, cui a se scriptam esse libri censuram Eichstadius aperuerat, paucis post hebdomadibus rescripsit: „Sie haben Recht; ich habe die Orationes in Catilinam jetzt nochmals mit grösserem Argwohn als sonst gelesen; die *dritte* ist unächt.“ *) Wolfius ab eo inde tempore, primum inter familiares, sermone et epistolis spargere coeperat, *unam sibi suppositiciam videri ex orationibus Catilinariis.* Quam quaestionem quum aliis divinandam relinqueret, factum est, ut omnes deinceps orationes Catilinariae, alia ab aliis, in dubitationem vocarentur.

Iam anno 1803 ad eum scripsit *Buttmannus:* **) „Sie werden sich erinnern, dass Sie mir vorigen Sommer einige Grüsse an die

---

*) His verbis argumentum epistolae ad se datae Eichstadius communicavit cum *C. Beneckio*, orationum IV in Luc. Catilinam editore. (Lips. 1828. p. 316.)

**) *Wolf's* Leben von *Wilh. Körte*, Bd. I., S. 331 u. 332.

vier Catilinarias auftrugen, ohne mir zu sagen, welche von den Damen Sie eigentlich meinten. Ich habe nun die Ehre, Sie von der *ersten* wieder zu grüssen. Die Sache drang sich mir bei der ersten Entrevue sogleich mit überwindender Ueberzeugung auf. Aber weil die merkwürdige Dame gerade die erste ist, deren Bekanntschaft man macht, so verursachte dies mir, ehe ich zur zweiten gelangte, eine sehr unangenehme Empfindung, da ich mir selbst misstrauete, dass ich, zuvor eingenommen durch ein Urtheil von Ihnen, nun gleich bei der ersten viel und das finde, worauf ich sonst nicht gefallen wäre. Aber gleich bei dem ersten Viertheil der zweiten war mein Herz erleichtert. Der Unterschied war mir zu fühlbar. Meinen Sie nicht auch, dass diese Rede (die vermuthlich Cicero ganz aus dem Stegreif machte) von einem Römischen Geschichtschreiber neu geschmiedet und seiner Geschichte einverleibt worden war, und dass nachherige Sammler der Reden Cicero's sehr froh waren, eine Lücke damit ergänzen zu können?" — Wolfius, qui intelligeret, quam haec tota ratio anceps esset et lubrica, ut vel acutissimis hominibus ad tempus illudere posset, sententiam suam paullo apertius indicandam putavit. Itaque in acroasibus de literatura Romana a. 1805 habitis, quibus etiam *H. G. J. Cludius* interfuit, dixit, unam e quatuor Catilinariis orationibus suppositiciam videri, eamque esse *alteram ex mediis duabus.* *) Hanc summi praeceptoris significationem de *secunda* ora-

---

*) Iure quidem miratur Eichstadius (de orationibus Catilinariis, p. 6), neque in encyclopaedicis scholis Wolfii, quas duo nuper eius discipuli in publicum emiserunt, neque in lectionibus de historia literarum Romanorum, a *Gürtlero* editis, quicquam ea de re memorari. Neque tamen hoc eo valere debet, ut fides derogetur Cludii testimonio, quum etiam in iis, quae Wolfius in schedis suis intra annum 1816 — 1822 conscripta reliquit, haec verba legantur: „Auch an Einer Rede des Cicero hätte ich noch die Unächtheit zeigen mögen. Vielleicht habe ich, die ich meine, schon in calore colloquii (sermonis *sic.*) einmal genannt, dass es damit nicht so gehen kann, wie damals vor der Edita

tione interpretatus, *Cludius* in libello scholastico, a. 1826 in Gymnasio Lyccensi edito, scripsit *de authentia secundae orationis Catilinariae* disputationem, postea insertam Seebodii Neuem Archiv f. Philol. u. Pädag., 1827, N. IV, p. 47 sqq., in qua id egit, ut demonstraret, hanc orationem tam videri stultam, inconstantem, ineptam atque insulsam esse, ut, quicunque satis paratus ad legendum venerit et mentis aciem ad id, quod agatur, intenderit, Ciceronis eam esse nullo modo credere possit. In eam sententiam per singula orationis capita, quamquam non indocte, disserendo quam nihil auctor consilio suo satis fecerit, quam confidenter vel temerarie adeo versatus sit, bene docuit *Bloch*, Roeskildensis Scholae Rector, in editione oratt. Ciceronis selectarum (1829) Vol. I.

Secutus est Gerensis Gymnasii Subconrector, *Bernhardus Boehme*, qui ab Eichstadii disciplina profectus, eam sententiam, in quam cum Eichstadio Wolfium incidisse narravimus, uberius explanare aggressus est in commentatione *de tertiae orationis authentia*, quam, morte immatura oppressus, imperfectam reliquit. *)

Accedimus iam ad eam orationem, in cuius fide examinanda et, si fieri possit, adversus acerrimas impugnationes, quas nuper experta est, rationibus quibusdam stabilienda huius qualiscumque disputationis summa continebitur.

Quarta oratio, ut inter reliquas Catilinarias postremum locum obtinet, ita etiam postremo loco in dubitationem vocata est, sed ita

---

Marcelliana. Diese Demonstration aber gab ich auf, so oft ich daran ging; es schien mir zu schwer, die Indicia so deutlich darzulegen, als bei den fünf andern Reden, weil sie eben nicht so deutlich da sind." (*Wolf's* Leben von *Wilh. Körte*, Bd. II, S. 126.)

*) Quae ex hoc opere absoluta supersunt, Prolegomena et quatuor capitum priorum interpretatio, ea tam docte acuteque tractata iudicat *Beneckius*, ad quem schedae illae pervenerunt, ut ea non indigna censeat, quae aliquando in lucem emittantur. (In ed. IV oratt. in Catil., p. 317.)

in dubitationem vocata, ut facile concedamus, nullam aliam orationem tanta cum doctrina, tanto ingenii acumine, tanta perspicuitate, tanta denique orationis facultate et ad persuadendum efficacia impugnatam esse, quam ab *Ahrensio quartam.* Libri, in quo orationi Ciceronis nomen et auctoritatem derogavit, haec est inscriptio:

„*M. Tullii Ciceronis quae fertur oratio quarta in Catilinam; recognovit, commentariis instruxit, a Cicerone abiudicavit E. A. J. Ahrens.* Coburgi 1832."

Post orationem ipsam, ad optimos libros, praecipue ad Erfurtensem Codicem, qui inter praestantissimos habetur, recognitam brevique commentario, unice ad rem, de qua agitur, pertinente illustratam, singulatim pertractantur loci *de testimoniis historicis, de erroribus historicis, de inventione et dispositione orationis, de amplificationibus sententiarum, de repetitionibus, de sententiis languidis, de sermone verbisque orationis.* — Qua disputatione probare posse sibi visus est vir doctus hanc orationem ita esse auctoritate antiquitatis destitutam, ita cum reliqua rerum memoria pugnantem, ita in inventione et dispositione, in sententiis et elocutione a perfectione Ciceroniana abhorrentem, ut eam non a summo oratore profectam, sed a rhetore quodam vel grammatico, Augusti fortasse aetate, compositam esse statuendum sit. (p. 37.) Qua de sententia antequam iudicetur, necesse est, ut libri de ea scripti controversi, tamquam aliqui testes, producantur.

Duos potissimum assertores Ahrensii caussa nacta est, *Paldamum* et *Orellium.* Et *Paldamus* quidem in Ephemeridibus ad antiquitatis studia pertinentibus, quae Darmstadii Ludovico Christiano Zimmermanno moderatore emittuntur (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, 1837, No. 65 et 66), Ahrensii sententiam ita approbavit, ut de quarta oratione Catilinaria actum esse iudicaret. *Orellius* vero in novissima sua M. Tullii Ciceronis orationum selectarum XV editione, Turici a. 1836 evulgata, quod Ahrensius de quarta

oratione censuit, adeo et sibi probari declaravit, ut quomodo confutari posset, nequaquam perspiceret (p. 241), caussae autem, quam tuendam suscepit, etiam ita aliquid praesidii se allaturum putavit, si, quod ille de *quarta* oratione sola affirmaverat — nam de *tertia* satis habuit scrupulos nonnullos lectorum animis iniicere (p. 148) — id ad *tres orationes posteriores* pertinere defenderet. Quod igitur Wolfius, etiam quum Turici commorabatur, *de altera illa ex mediis duabus* amicis discipulisque suis significaverat, id quum olim in eam partem Orellius accepisset, ut subridens virum summum ita iocari vehementer laetaretur (Ciceronis Opera, ed. Orell. 1826, Vol. II, P. II, p. 48, coll. Oratt. sel. p. 178): nunc quidem eorum se iudicio accedere fatetur, qui praeter primam illam, in Senatu habitam, orationem reliquas, quae in caussa Catilinaria a Cicerone habitae feruntur, a rhetore quodam, fortasse paullo post Ciceronis interitum, compositas esse statuant (p. 176). Cui sententiae Orellius quum ipsum Ciceronem repugnare intelligeret, quippe qui ad Atticum scribens *quatuor* orationes aperte enumeret, operam dedit, ut novo quodam invento ipsum Ciceronem in sua causa intestabilem efficeret. Novum illud et inauditum crimen, licet cum ea, de qua agitur, caussa non artissime coniunctum sit, tamen operae pretium est ut cognoscatur. *Cicero* ad *Atticum* haec scripsit (2, 1, 3):

„*Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus, adulescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae* ***Philippicae*** *nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut* σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος *videretur, curare, ut meae quoque essent orationes, quae* Consulares *nominarentur. Quarum una est in Senatu, Kal. Ian.; —* septima*, qua Catilinam emisi;* octava*, quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit;*

*nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in Senatu Nonis Decembribus. — Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te quum scripta, tum res meae delectant, iisdem ex libris perspicies, et quae gesserim et quae dixerim: aut ne poposcisses; ego enim me tibi (*al. *tibi me) non offerebam.*"

Loco sane aptissimo, post commemoratos Tulliani consulatus commentarios, et Attici et suos, Graece scriptos, mentionem fecit Cicero orationum Consularium. Ad easdem refertur §. 11: „Prognostica mea *cum oratiunculis* propediem exspecta;" qui locus ab Orellio praetermissus est. Nam si animadvertisset, etiam h. l. easdem, quas a priore epistolae parte exsulare iubet, oratiunculas eiicere debebat. Statuit autem, ut rem paucis complectar, sic: Quum orationes, de quibus dubitatur, propter multos errores in iis commissos, propter sententias tenues et inanes, propter verba denique a Ciceronis consuetudine longe abhorrentia, summo oratore indignae iudicandae sint, verisimillimum esse suspicari, auctorem earum, ut aequalibus suis eas Ciceronis esse astute persuaderet, etiam locum illum, quem exscripsimus, epistolae ad Atticum inculcasse. Quod quum a nemine facilius effici potuisset, quam ab harum epistolarum editore, *M. Tullio Tirone,* Marci liberto et scriba, hunc ipsum utriusque fraudis insimulare non dubitat (p. 179).

Ipse sensit Orellius, tantam criminationis acerbitatem aliqua excusatione esse leniendam, in homine praesertim bono et fide probato. Statuit ergo, Tironem gloriae patroni consultum iri putasse, si Catilinae coniuratio et patefacta et oppressa non una, sed quatuor celebraretur orationibus. At quam male consuluisset orationibus affingendis iis, quae, si vel maxime fidem apud aequales invenissent, tot tamen tam foedis vitiis, quibus, Orellio certe iudice, laborant, famam summi oratoris indelebili in omnem posteritatem macula contaminassent!

Iam vero, ut ad locum illum redeamus, quem ab eodem falsario epistolae ad Atticum, fraudis tegendae caussa, Orellius insertum putat: ne in hoc quidem, praeter verborum quorundam insolentiam, fere quicquam inest, quod suspicionem movere possit. Hanc vero non satis gravem caussam esse ad suspicandum in epistolis ad Atticum, familiari sermone et ioculari scriptis, iam ab aliis recte iudicatum est, praesertim quum ea, quae hoc loco lectorem morari possint, habeant tamen, quo defendantur. Nam, ut in iis consistam, quae necessario afferenda sunt, quod Demosthenes dicitur in Philippicis orationibus ab hoc *refractariolo* iudiciali dicendi genere se *abiunxisse*, id quidem non offendet eum, qui in Bruto Ciceronis (c. 83) haec verba legerit: „Thucydides hoc forense, *concertatorium*, iudiciale non tractavit genus.“ Utroque loco *iudiciale genus*, quod in privatis caussis agendis versatur et cum altercatione coniunctum est, aptissime opponitur *generi deliberativo*, in quo perpetua oratione, verbis sententiisque gravi, res tota, vel in Senatu vel apud populum, peragitur. *Abiungendi* verbum eo pertinet, quod summus orator se ab hoc forensis generis quasi *iugo* liberaverat.*) *Emittendi* verbum de Catilinae discessu Ciceroni familiare est, ut in Cat. 2, 1, 1: *ex urbe vel eiecimus, vel emisimus*, et pro Sulla 5, 17: *eiecto sive emisso iam ex urbe Catilina.* Denique recte (coniurationem) *involgasse* dicuntur Allobroges, qui indicio in Senatu peracto effecerunt, ut ea, quae antea *privatim* ad Q. Fabium Sangam et per eum ad Ciceronem detulerant, *in vulgus* emanarent.**) Omissum obiectum in hoc scribendi genere nemo facile desideraverit. Unum restat, quod attentum loci lectorem morari possit, quod Atticum suum, qui et ipse

---

*) Virg. G. 3, 518 „abiungens-iuvencum.“

**) Comparari potest locus Gellii, 20, 5: *Alexander literas ad Aristotelem misit, non eum recte fecisse, quod disciplinas ἀκροατικάς, quibus ab eo ipse cruditus foret, libris foras editis involgasset.*

commentarium de consulatu Graece scripserat (cf. etiam Cornel. Nep. vit. Attic. c. 18), Cicero voluerit et quae gesserit et quae dixerit, ex orationibus illis perspicere. Sed non magno negotio invenietur huius difficultatis expediendae ratio. Quum enim Atticus de iis, quibus non interfuerat, haud dubie nonnulla, falsa ad eum fama perlata, non ut gesta erant in libro suo tradidisset, Cicero eum de his, in quibus erraverat, rectiora voluit edoceri.*) Ceterum etiam in hac ratione reprehendendi singularem illam, qua excellit, urbanitatem facile agnoscas.

Satis nobis haec dicta videntur ad suspicionem ab Orellio illatam ab hoc loco defendendam. Sed insunt etiam alia nonnulla, a caussa, quam tuendam suscepimus, non prorsus aliena. Quum enim Orellius ipse iudicet, haec ita esse inter se connexa et implicata, ut et orationes impugnatas et particulam illam epistolae aut pro veris, aut pro adulterinis habeamus necesse sit, hoc certe consequitur, Ciceronem, si pro auctoritate loci satis firma argumenta attulimus, non una, sed quatuor orationibus caussam Catilinariam peregisse. Quae si cunctae ab ipso Cicerone editae exstabant, nihil videri potest improbabilius, quam tres veras orationes interiisse, in earumque locum tres falsas substitutas esse, a rhetore quodam compositas. Quodsi Sallustius (Cat. c. 31) tradit, primam orationem, luculentam illam atque utilem reipublicae, *postea* scriptam fuisse editam, id eo tempore, quo epistola ad Atticum scripta est, i. e. tribus annis post coniurationem oppressam (a. U. 694), factum esse videtur. Nulla enim caussa cogitari potest, quare Cicero primam orationem separatim, aut antequam ad Atticum mitteret, in vulgus emiserit. Neque tamen quatuor illas orationes a corpore *orationum Consularium*, quod,

*) Eodem pertinent verba §. 2: „Videtur enim (liber meus) posse aliquid nostris rebus lucis afferre."

adulescentulorum studiis excitatus, edere constituerat, voluit segregari. Patet igitur, *inscriptionem* illam *orationum IV in Catilinam* non esse ad Ciceronem auctorem referendam, praesertim quum ne sint quidem omnes *in Catilinam* habitae. Quae in Codicibus antiquissimis exstat inscriptio „*Ciceronis IV invectivarum libri in Catilinam*", eam grammatici, ut Diomedes et Priscianus, usurpaverant. Verbi auctor est quarti seculi exeuntis scriptor, Ammianus Marcellinus, (21, 10: „orationem acrem et *invectivam*, probra quaedam in eundem explanantem et vitia, scripserat ad Senatum.")

Quum igitur has orationes, nulla communi inscriptione comprehensas, per priora post Ciceronis interitum secula traditas esse constet: nihil erat, quod grammatico cuidam vel rhetori ansam praebere posset ad *corpus* orationum Catilinariarum confingendum. Iam vero Orellii coniectura, si omissis his omnibus vel maxime probari posset, nihil magnopere momenti ad Ahrensii sententiam confirmandam afferret, quum ne de ipsa quidem caussa consentiat. Nam habitam esse a Cicerone Nonis Decembribus orationem Consularem, eamque locupletissimam atque uberrimam, Ahrensius non negat (p. 60), eam habitam esse negat, quae ad nostram aetatem pervenit, qua Silani et Caesaris sententiae comparantur.

Quae quum ita sint, nostro quasi iure nobis facere videmur, si hunc testem, quamvis ceteroquin ingeniosum hominem et de Cicerone egregie meritum, ab hoc quidem iudicio removeamus. Nimio eum studio abreptum iudicabimus ad Ciceronis sui caussam ab ea, quam sibi finxerat, interpolationis iniuria defendendam, cupidorum more amicorum, etiam ea attulisse, quae ab omni veritatis specie abhorrerent. — De reliquis, qui in hac caussa testimonium dixerunt, satis habebimus summatim atque eo consilio referre, ut, si quando in ipsa caussa ad eos provocabimus, ne ignoti sint iudicantibus.

Orelliana ratio satis acrem et doctum adversarium habuit *Censorem editionis orationum selectarum* XV in *Ephemeridibus literariis Halensibus*, (a. 1837, mense Aprili, Ergänzungsblätter No. 35 et 36). Iam ante eum *Carolus Fridericus Schnitzerus*, tunc Araviensis, nunc Heilbronnensis gymnasii Professor, in *Quaestionum Ciceronianarum Particula prima*, anno 1836 edita, loco illo de orationibus Consularibus ab Orellii suspicionibus liberato, adversus Ahrensium probare studuerat, eam, quae hodie exstat, orationem a Cicerone Nonis Decembribus esse habitam. In extrema parte commentationis, quae eo die in Senatu acta sunt, indicatis auctoribus, ita disposuit, ut tamquam in tabula conspiciantur.

His, quae a Schnitzero docte et accurate disputata sunt, *Ahrensius* in libello scholastico, mense Iulio anni 1837 *Coburgi* emisso, opposuit *Quaestionum non Tullianarum Particulam primam*, qua, si minus omnia, quae olim a se scripta essent, defenderet, ea saltem tueretur, quibus confutatis sententia sua amplius salva futura non esset (p. 3).

Eiusdem anni mense Septembri *Schnitzerus*, nondum perlato ad eum Ahrensii libello, edidit *Heilbronnae Quaestionum Ciceronianarum Particulam secundam*, in quo libro id egit, ut quam in superiore commentatione sententiam proposuerat, iis quae Ahrensius in orationis quartae editione de erroribus historicis, de inventione et dispositione, de sermonis et verborum a Ciceronis consuetudine discrepantia disputaverat, refutandis, additis etiam veterum scriptorum, quibus auctoritas orationis nititur, testimoniis, confirmaret.

Quae in his Ahrensii Schnitzerique libris disputata sunt, bene inter se contendit *Baeumlein*, Professor Heilbronnensis, in Ephemeridibus Darmstadiensibus (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, 1838, N. 8 et 9), ita tamen, ut secundum Schnitzerum pronunciaret.

Denique digna est quae cognoscatur *Eichstadii* sententia in illo, cuius supra mentionem fecimus, *Quaestionum Philologicarum Specimine tertio*, *de orationibus Catilinariis*, *Ienae* mense Augusto 1837 edito, proposita.

Productis iam testibus, qui adhuc exstiterunt, omnibus, *ad ipsam caussam* accedamus, in qua id quaerendum est, verene Ahrensius id, in quo sententiae eius summa continetur, contenderit, praeclare constare omnia, si, abiecta oratione ea, quae hodie *quarta* in Catilinam fertur, alia quaeratur, temporum invidia absumpta, ea quae epistola ad Atticum (2, 1) et oratione Pisoniana (7, 14) aliisque indiciis significetur (p. 79).

Tota illa quaestio, quae de monumentorum veterum auctoritate instituitur, inde proficisci debet, ut contentione quadam et comparatione facta doceatur, eum librum, de cuius veritate dubitatur, iis virtutibus ornatum ab iisque vitiis immunem esse, quibus reliqui eiusdem scriptoris libri, de quorum veritate inter omnes constat, censentur. Quare si probari posset, in ea, de qua agitur, oratione omnem argumenti perpetuitatem, sententiarum seriem dictorumque concinnitatem ita desiderari, ut aliarum omnium, quae Ciceronis vere esse putantur, dissimillima videretur: de reliquis omnibus, quae ad hanc quaestionem pertinent, disputare facile supersederemus. In quo genere admirandum est, quam varie et contrarie a viris doctissimis et ingeniosissimis de quarta oratione Catilinaria iudicatum sit. Quam enim orationem propter singulare dicendi artificium *Middletonius* et *Wielandius* satis admirari non potuerunt:*) ea *Ahrensio* tam male

---

*) *Wieland* Uebersetzung der Briefe des Cicero, Bd. 1, S. 90: „Auf diesen, leicht vorhersehenden Augenblick vermuthlich wohl vorbereitet, hielt Cicero nun die *vierte* seiner Catilinarischen Reden, welche *Middleton* mit Recht für ein Meisterstück der Kunst des Redners und des Staatsmannes erklärt. Wie ausserordentlich aber auch das Redner-

vincta et colligata esse videtur, ut eam ne ab audientibus quidem satis percipi potuisse sibi persuadeat.*) Sed multo magis admirabilis, quam haec de eiusdem orationis pretio aestimando, diversitas dicam an repugnantia, visa est mihi duorum doctissimorum virorum eodem fere tempore (mense Augusto et Septembri anni 1837) de eadem caussa iudicantium tam singularis consensio et quasi conspiratio, ut ea prope praeiudicii loco habenda esse videatur. Nam *Eichstadii* (in Specimine tertio de orationibus Catilinariis p. 14) haec est sententia: „Mihi autem reputanti saepenumero, quae Marklandus, Gesnerus, Wolfius, Wormius, Weiskius, Beckius, Spaldingius, Iacobus, Hugius et duo illi novissimi orationum controversarum editores (Ahrensius et Orellius) in utramque partem disputaverunt, de hac caussa nunc, ut aperte profitear, aliter statuendum videtur. Vereor, ne quae sum dicturus improbaturi sint, qui natura sua magis praecipites ad damnandum quam ad defendendum, in rebus criticis mediam tenere viam nefas arbitrantur. Timidum censebunt, qui caute et circumspecte agit. Ego vero multorum audaciae anteponendam cautionem illam censeo. Dicam igitur quod sentio. Etenim

---

talent Cicero's und wie voll seine ganze Seele von den Gegenständen dieser für den Staat und für ihn selbst so wichtigen Debatte war — diese Rede ist in jedem Betracht zu künstlich, um (wie Middleton zu glauben scheint) aus dem Stegreif gehalten zu sein; und selbst die wohlgelungene Bemühung, ihr den Anschein eines durch den Moment verursachten Ausbruchs seiner innigsten Ueberzeugungen und Gefühle zu geben, scheint mir zu viel Kunst zu verrathen, um nicht für die Frucht eines vorhergegangenen scharfen Nachdenkens gehalten zu werden."

*) *Ahrens* p. 160: „Nec quicquam profuisset oratio aut paucis aut nemini intellecta, quae neque adversarios terreret, neque suffragatorum constantiam confirmaret; denique indigna excellenti summi oratoris ingenio videretur." *Idem* p. 175: „Ad hanc orationem proprie id vitium pertinet, quod nulla certa sententia ullius rei ex oratoris verbis nascitur, nec constituitur definitum clareque expressum iudicium de iis rebus, in quibus praecipue versatur oratio."

non tantum in Marcelliana et Catilinariis, sed in aliis quoque orationibus Ciceronis inveniuntur, quae fastidiosiorem lectorem morari atque adeo male habere possint. Quas quidem orationes prius quam reiicere tamquam subditivas ausimus, diligenter dispiciendum existimo primum, quo tempore quove animi habitu Cicero eas habuerit, paratusne ac meditatus ad dicendum processerit, et tranquillis rebus omnibus dixerit, an urgente necessitate, externis tempestatibus commotus, in extemporale flumen se coniecerit; deinde utrum limare habitas voluerit, an exceptas teneamus ab actuariis, quos constat non raro verba dicentis male subsecutos esse; denique utrum vestigia quaedam interpolationum deprehendantur in iis orationibus, quas ita habuit, ut commentandi quidem spatium et meditandi commoditas defuisse dicenti, sed aliqua tamen illarum pars ipsius ingenio et arte haud indigna videatur. Ex quo genere *quarta* est *Catilinaria*, cuius *priora tria capita* partem efficiunt orationis, de qua Cicero in epistolis, et Sallustius in libro, qui est de bello Catilinario, narrant; sed quae sequuntur, nec pertinent ad illa, nec, si abessent, desiderarentur. Addito semel complemento, fieri facile potuit, ut tota oratio in ordinem Tullianarum reciperetur.“ In eandem sententiam *Schnitzerus* in *Quaestionum Ciceronianarum Particula secunda* (p. 14) haec disputavit: „Ego, quum scholis orationes Catilinarias explicarem, nescio quomodo in hanc suspicionem incidi, habere nos veras quidem Ciceronis et relationem salutarem illam atque diligentem (in Pis. 7, 14) et orationem, habitas Nonis Dec.; sed relationem intercisam forte ac mutilam, sive esset ab ipsis Ciceronis notariis ita contracta et circumcisa, sive a serioris aetatis librariis depravata: cui inde a cap. quarti initio ea pars veluti adsuta foret, qua sententias Cicero interpellavit.“

Fateor, hunc tam singularem et paene conspirantem duorum doctissimorum virorum consensum initio vehementer animum meum

commovisse. Nam et ipse aliquando, nondum cognita tota illa de huius orationis veritate controversia, quum, aliud agens, quatuor orationes Catilinarias uno tenore perlegerem, in quarta mihi visus fueram eam seriem et perpetuitatem sententiarum, qua alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque esse viderentur, aliquantum desiderare. Itaque quum paullo post in illam, quam supra commemoravi, *Zimmermanni* mei significationem incidissem, hunc quoque suspicabar propter eandem caussam de veritate orationis dubitasse. Postea vero, saepius repetita lectione et consilio oratoris rectius perspecto, haec mihi dubitatio exempta est. Porro accuratius inter se comparatis Eichstadii Schnitzerique sententiis de oratione ex duabus partibus contaminata, hoc tamen interesse visum est, quod quae incipiens a capite tertio pars altera orationis Eichstadio videtur ab interpolatoris alicuius manu, complementi caussa, addita esse, ea a Schnitzero pro illa ipsa oratione habetur, qua Cicero sententias Patrum interpellavit. Iam vero quum persuasum habeam, omnes huius orationis partes tam arto vinculo inter se contineri, ut quae a capite quarto usque ad finem leguntur, non possint a superiore parte separari: quo melius sententia mea cognosci et cum altera illa comparari possit, eum, qui mihi in oratione inesse videtur, sententiarum ordinem quasi in tabula proponam.

Sententiarum in oratione quarta Catilinaria series et continuatio.

I. In *exordio* orator Patres rogat, ut de suo ipsius periculo non cogitantes ea decernant, quibus Senatui dignitas Populoque R. salus pariatur; 1, 1.

Huius adhortationis duas affert caussas:

a) se iam ab inito Consulatu in summis vitae periculis versari; 1, 2.

b) se etiam porro pro salute suorum et reip. incolumitate quamcumque fortunam subiturum; 1, 2—2, 3.

II. *Transitio*, 2, 4—3, 6.

Quamquam de periculi magnitudine a Patribus iam superioribus decretis iudicatum sit, se tamen *instituisse* (i. e. coepisse) *tamquam de re integra ad eos referre.* In qua relatione antequam pergat, se *praedicturum:*

III. *Tractatio.*

A. *Quae sint Consulis* (3, 6—9, 19).

1. de *facto*, i. e. de periculi magnitudine. Periculum et magnum est, et prope imminens, et late dispersum; propterea celeri consilio opus est; 3, 6.

2. de *poena*, c. 4—9.

a) Sententiae adhuc dictae Silani et Caesaris ita comparantur, ut Caesaris sententia, licet populo gratior et Consuli salutarior sit, re vera tamen crudelior altera esse iudicetur, c. 4 et 5.

b) Sceleris atrocitas tanta est, ut nihil severius statui posse videatur, c. 6.

c) Consuli satis praesidii adesse ad omnia, quae Senatus decreverit, transigunda, c. 7 et 8.

(Commemoratur omnium ordinum ad remp. conservandam conspiratio, quae tanta fuit, ut frustra tentatum sit eos, qui in custodiam traditi erant, liberare.)

d) Quae quum ita sint, Patres, ne reip. desint, hortatur, c. 9.

B. *Quae ad se privatum* (i. e. abdicato Consulatu) *pertineant*, c. 10 et 11.

a) se suae gloriae satis diu vixisse, c. 10, §. 20 et 21.

b) se bellum cum perditis civibus susceptum facile bonorum omnium auxilio propulsaturum; c. 10, §. 22.

c) se, si tamen sibi occumbendum esset, filioli sui tutelam Patribus permittere; c. 11, §. 23.

IV. *Peroratio*, c. 11, §. 24.

Patres adhortatur, ut fortiter decernere pergant.

Orationis argumentum non tam in *referendo*, quam in *iudicando cohortandoque* versatur (Cic. ad. Att. 12, 21, 1). Quod quo melius perspiciatur, a *propositione* incipiendum est, quam si rectius interpretes constituissent, neque de perpetuitate et integritate orationis, neque de dicendi opportunitate ullam dubitandi caussam futuram fuisse, persuasum habeo. Nam quibus verbis vulgo propositio orationis inesse putatur „Sed ego institui referre ad vos, P. C., tamquam integrum, et de facto quid iudicetis, et de poena quid censeatis" (c. 3, 6), iis non ipsa inest propositio, sed transitus ad propositionem. Propositio est *bipartita: prior*, a verbis „illa praedicam, quae sunt Consulis" (3, 6) incipiens, finitur verbis „ut mea vox, quae debet esse in rep. princeps, officio functa Consulari videretur" (9, 19); *altera* continetur verbis „de me pauca dicam" (10, 20). Hoc ita esse, etiam inde intelligitur, quod ab utraque propositione oratio similiter progreditur.

Propositio A. „*Illa praedicam, quae sunt Consulis.*" „Ego magnum in rep. versari furorem — iam pridem videbam: sed hanc tantam, tam exitiosam haberi coniurationem a civibus numquam putavi" (3, 6).

Propositio B. „*De me pauca dicam.*" „Ego, quanta manus est coniuratorum — tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video; sed eam esse iudico turpem et infirmam et abiectam" (10, 20). Interpretes plerique omnes in errorem de argumento et consilio

orationis inducti sunt verbis" sed ego institui — quae sunt Consulis" (3, 6) male intellectis. Cuius loci sententia quum Germanice sic exprimi possit: „Dennoch (obgleich die Verschworenen durch Eure früheren Beschlüsse bereits verurtheilt sind) habe ich, *als über etwas noch Unentschiedenes*, eine Verhandlung darüber *eingeleitet*, was Ihr über den Gegenstand urtheilen und über die Strafe bestimmen wollt; ich will jetzt (über Beides) das bevorworten, was mir als Consul zukommt" — ii, qui „institui" *decernendi* significatione ceperunt et „tamquam integrum" per „*denuo*" explicarunt, aliter ac dictum erat interpretati sunt: „Aber ich habe jetzt *beschlossen*, *aufs Neue* an Euch den Antrag zu richten — lasst mich noch das bevorworten, etc. Ita vero si verba intelligas, et loci, quem tractamus, sensus pervertitur, et de totius orationis consilio perperam iudicatur. Neque enim id agebat orator, ut denuo referret — quod nec poterat commode, nondum omnibus de iis, quae antea relata fuerant, consultis, — sed ut, *antequam in referendo pergeret* (10, 20: „antequam, P. C., ad sententiam redeo s. redeam"), ea, quae Consulis essent et quae ad suam etiam privati salutem pertinerent, *praediceret*, i. e. ut et de sceleris ac periculi magnitudine ipse *iudicaret*, et Patres ad celeriter et fortiter decernendum *cohortaretur*.

Verborum, in quibus tamquam in cardine suo orationis interpretatio vertitur, sensum recte a nobis constitutum esse, facile potest ex Lexicis probari. Nam *instituere*, apud Ciceronem certe, numquam constituendi, decernendi, consilii capiendi, sed incipiendi, ordiendi, aggrediendi vim habet. Exemplo sint loci: ad Fam. 7, 19: „ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere;" Acad. 1, 1: „quaedam institui (angelegt), quae et sunt magna sane, et limantur a me politius;" pro Mur. 32: „ut ad id, quod institui, revertar;" et in hac ipsa oratione 11, 24: „decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter." — *Res integra* apud Ciceronem ea est, de

qua nondum quicquam deliberatum est; ad Att. 5, 21, 13: „praesertim quum integram rem et caussam reliquerim;“ de Off. 2, 23: „rem integram ad reditum suum iussit esse.“ Sic *integrum est mihi* tum dicitur, quum in potestate est mea, alterutram partem eligere, ut pro Lig. 1, 1: „ut id integrum iam non esset,“ i. e. ut confitendum esset, quoniam negari amplius non poterat. Ita in hac caussa Catilinaria revera non amplius integrum erat Patribus eos, quos iam superioribus decretis damnassent, absolvere. Ergo *tamquam integrum* est tamquam *de re integra*, non rursus s. denuo, quod per *de integro*, *ab integro*, *ex integro* exprimitur. —

De reliquo orationis argumento nulla est magnopere dubitatio.— Oratio habita est in *aede Concordiae* (Phil. 2, 8, 19; 2, 46, 119), in qua etiam biduo ante quaestio de coniuratis instituta fuerat (Cat. 3, 9, 21. Sall. c. 46), non in templo Iovis Statoris, ut prima oratio (2, 6, 12; 1, 5, 11; 1, 8, 21), id quod non commemorarem, nisi etiam hac in re *Doeringium*, *Reuterum* et *Klotzium*, recentissimos editores,*) errasse prope miratus essem.

Quaeri possit, *ab actuariis*ne in Senatu exceptam, an *ipsius Ciceronis manu* scriptam orationem teneamus. Et de scribis quidem, iussu Consulis passim per templum eo consilio locatis, ut omnia, quae eo die in Senatu agerentur, velociore calamo et siglis quibusdam brevissimis notarent, *Schnitzerus* cogitavit,**) ab iisdem etiam *Catonis* orationem illam, quam ad suam aetatem permansisse Plutarchus acceperat, exceptam esse statuens.***) In quo mirandum foret, Sallustium, quo loco de orationibus Caesaris et Catonis agit, nihil

---

*) *Döring.*: Erklärende Anmerkungen zu den auserlesenen Reden des Cicero, Braunschw. 1797. *Reuter*: Ciceronis orationes pro lege Man., in L. Catil. etc., Augsburg 1831. — Cicero's auserwählte Reden, herausgeg. von *Reinhold Klotz*, Leipzig 1838.

**) *Quaestionum Ciceronianarum Particula II.*, p. 14.

***) *Quaestionum Ciceronianarum Particula I.*, p. 27.

de eadem re commemorasse, qui tamen primam illam orationem, luculentam atque utilem reipublicae, scriptam exstitisse aperte indicavit (c. 31). Porro, si oratio utriusque ex ore dicentium calamo esset excepta, caussa scriptori nulla fuisset alias, ne fidem quidem habituras, ex suo ingenio confingendi. Sed Plutarchi testimonium cum alio illustri loco Ciceronis in oratione pro P. Sulla comparanti non potest non expedita videri huius rei explicatio. *Plutarchus* enim in *vita Catonis*, c. 23 haec habet: *τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπε διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ᾽ ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος.* Quam igitur Plutarchus non viderat, sed exstare audiverat Catonis orationem, eam perscriptam putabat ab actuariis illis, Consulis iussu per templum Concordiae dispositis. Cuius rei *biduo ante* a se imperatae, quo die indicium de coniuratis in Senatu peractum est, quum ipse *Cicero* mentionem faciat,*) non potest dubium videri, quin Plutarchus utriusque diei acta confuderit. Quare non ea est Plutarchi auctoritas, qua permoti hanc orationem excipiamus de numero reli-

*) *Orat. pro Sulla* 14, 41. „Vidi ego hoc, iudices, nisi, recenti memoria Senatus, auctoritatem huius indicii monumentis publicis testatus essem, fore ut aliquando — aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata haec esse diceret, quo facilius, vento in optimum quemque excitato, posset in malis reip. portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque, introductis in Senatum indicibus, constitui Senatores qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. §. *42.* At quos viros! non solum summa virtute et fide, cuius generis in Senatu facultas maxima, sed etiam quos sciebam memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime, quae dicerentur, persequi posse. *C. 15.* Quid deinde? quid feci? Quum scirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia, more maiorum, continerentur: non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, dividi passim et pervulgari atque edi populo Romano imperavi. Divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias: eius indicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem volui."

quarum Consularium, quas Cicero domestico otio perscripsit, adulescentulorum studiis excitatus (ad Att. 2, 1).

Iam vero, missis actuariis, ad reliqua caussae capita transeamus. Quaerendum est enim, quo consilio orator dixisse videatur, quae ei oblata fuerit dicendi opportunitas, et an veterum scriptorum testimoniis, oratorem vere ea usum esse, confirmari possit.

De *consilio* orationis, si vel ab imperitia quadam scribendi, vel a scripturae corruptelis discesseris, ut mihi quidem videtur, rectissime iudicavit is, quem Ahrensius ne intellexisse quidem sententiam oratoris censet (p. 160), *scholiastes Gronovianus*, seculi quinti grammaticus, cuius exstat commentarius in tres orationes posteriores. Is igitur (*Ciceronis opera*, ed. *Orell.* Vol. V, P. II, p. 410) „Quum, inquit, relatum esset ad Senatum ante, et more omnium (primi *Orell.* interrogati essent sententias Consules designati, prior interrogatus Silanus, Consul designatus, morte multavit coniuratos. Interrogatus post eum Caesar dissuasit. Necdum Caesaris sententiam solvit Cato. Sed Cicero ante retulit, et sic auctoritas crevit Catonis post Ciceronis relationem. Denique Consul non debet referre, nisi quod rei deprehensi sunt; poenam statuite; duae dictae sententiae sunt; poenam eligite. Sed laborat orator occidendos esse quantum potest, et *suadet aliud agendo quantum potest. Laudando vituperat eius* (Caesaris) *sententiam.* Sed quoniam illa sententia crudelior est morte multari, laborat ostendere crudeliorem esse sententiam Caesaris quam Silani. Deinde plerique timebant, ad gratiam (sc. popularem) Ciceronis, iudicare, ne ipsis (malim *ipsi*) negotium fieret, quia *contra leges* occidebantur rei. Lex enim vetabat Sempronia. Timebat ergo, ne ad gratiam suam non damnarentur. Debet ergo ostendere, se securum esse adversus omne periculum, et illam lenem sententiam, quae morte multavit.“

Quam recte scholiastes totius orationis vim atque consilium perspexerit, etiam ex eo intelligitur, quod *legem Semproniam* commemoravit. Qui enim res quo ordine et qua ratione Nonis Decembribus in Senatu actae sint, accurate cognoverit, non dubitabit, Ciceronem ea una de caussa ad dicendum surrexisse, ut demonstraret, Patres in decernendo de poena coniuratorum non teneri lege Sempronia. Nam quum Consul convocato Senatu retulisset, quid de his fieri placeret, qui in custodiam essent traditi, *D. Iunius Silanus*, primus sententiam rogatus, de his, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decrevit (*Sall.* c. 50). Cuius sententiam quum omnes, qui post eum interrogati fuerant, secuti essent, *C. Iulius Caesar*, qui tum praetorio loco dixit (ad Att. 12, 21), mortis poenam a republica Romana alienam esse iudicans (*Sall.* 51, 17), pecunias eorum publicandas, ipsos vero dum viverent in vinculis habendos per municipia censuit. Cuius orationem, prudentem illam et meditatam, quum mira consecuta esset sententiarum ac voluntatum mutatio, Consulis, cuius interesset, ut ante noctem supplicium de coniuratis sumeretur, erat docere, *legem Semproniam*, ad quam Caesar in oratione sua provocaverat, ad hanc caussam non pertinere. *Ahrensius* quidem inter argumenta, quibus orationi quartae Catilinariae Ciceronis nomen derogare voluit, etiam hoc attulit, quod in illa *Semproniae*, apud Sallustium vero *Porciae* legis mentio facta esset (p. 114). Quam utriusque scriptoris discrepantiam quum alii ita explicare vellent, ut dicerent, Sallustium orationem Caesaris non ut habita fuerit retulisse, sed eam fecisse, qua naturam et mores eius pro ingenio aperiret (c. 53): mihi tamen, quamquam hoc vere dici intelligebam, prorsus incredibile visum est, Sallustium, scriptorem rationis reipublicae Romanae gnarissimum, in tam gravi re errasse. Sed, loco Ciceronis de lege Sempronia (Cat. 4, 5, 10) cum Caesaris

oratione apud Sallustium diligentius comparato, nullam esse utriusque scriptoris ea de re dissensionem intellexi. Nam apud Sallustium quoque Caesar non Porcia lege, sed Sempronia, qua sola poterat hac in caussa uti, sententiam suam confirmat. Quum enim ita dicat: „Sed, per Deos immortalis! quam ob rem in sententiam non addidisti: (Silane), uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An quia *lex Porcia* vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exsilium permitti iubent" (Sall. c. 51, §. 21 et 22): aperte indicat, sententiam Silani non cum lege Porcia, sed cum aliis legibus pugnare. Neque aliter in eadem oratione intelligenda sunt verba §. 24: „Qui convenit in minore negotio legem timere (Porciam), quum eam (Semproniam) in maiore neglexeris?" Cuius interpretationis veritas confirmari potest etiam loco §. 39 et 40: „Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam resp. adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere: tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exsilium damnatis permissum est." Verba postrema, cum proxime antecedentibus comparata, sic patet supplenda esse: tum *lex Porcia* parata est, *ne amplius verberibus in civis animadvorteretur; aliae leges*, ut *Valeria* et *Sempronia*, quibus legibus exsilium damnatis permissum est, paratae sunt, *ne amplius de condemnatis* (indicta ad populum caussa) *summum supplicium sumeretur*. In eandem sententiam utriusque legis vim interpretatus est *Cicero in or. pr. C. Rabirio, perduellionis reo*, c. 4: „*Porcia* lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit; Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: *C. Gracchus* legem tulit, ne de capite civium Romanorum iniussu vestro iudicaretur." *Idem* utramque legem coniungit in narratione de P. Gavio, cive Romano, Verris immanitate et virgis caeso et in crucem rapto. (Verr. 5, 63: „O nomen dulce libertatis!

o ius eximium nostrae civitatis! *o lex Porcia legesque Semproniae!*") Et in *prima* quidem *oratione Catilinaria* (11, 28) in universum commemorantur *leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt.* Ubi vero ad legem peculiarem et huic caussae propriam provocandum erat, sola nominari debebat *lex Sempronia*, id quod factum est in orat. Cat. *quarta* (5, 10): „At vero C. Caesar intellegit (i. e. arbitratur, iudicat; cf. 4, 4, 7), legem Semproniam esse de *civibus Romanis* constitutam; qui autem reip. sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem Semproniae legis iussu populi poenas reip. dependisse." Neque enim verberibus animadversum est in coniuratos, sed iniussu populi Romani necati sunt. Neque alio crimine Cicero postea a Q. Metello Nepote, trib. pl., accusatus, a P. Clodio, trib. pl., in exsilium eiectus est, quam quod indicta (ad populum) caussa de capite civium Romanorum iudicasset. Quae actio quamquam eo defendi poterat, quod et ii qui coniuraverant ius civium amiserant (Cat. 1, 11, 28; 3, 6, 15), et Senatus eos paullo ante contra rempublicam fecisse iudicaverat (Sall. c. 50), et Consulibus formula illa „darent operam Consules, ne quid resp. detrimenti caperet" potestas in rep. maxima permissa fuerat, qua *sine populi iussu* iudicium summum haberent (Sall. c. 29): tamen inimici Ciceronis, coniuratos *cives* iniussu populi necatos dicentes, Consulem, abdicato magistratu, non poterant nisi de Sempronia lege postulare. — Sed in loco illo, quem ex quarta oratione attulimus, non praetermittenda est praeclara *coniectura Schnitzeri.* Quum enim iam *Ernestius*, intelligens, C. Gracchum, latorem legis Semproniae, non populi iussu, sed L. Opimii Cos. imperio interemptum esse, et Ciceronem hoc exemplo docere voluisse, etiam coniuratos iniussu populi interfici posse, „*iniussu pop.*" scripsisset: *Schnitzerus*, feliciore etiam, ut mihi videtur, emendatione, verbo *denique* in *neque* mutato, locum sic constituit: „*neque* ipsum latorem Semproniae legis *iussu*

populi poenas reip. dependisse.“ *) Atque hic est locus praecipuus orationis, in quo Cicero *laudando vituperavit sententiam Caesaris (Schol. Gron.)*. Nam et ipse Caesar eandem legem neglexerat, quum cives capite deminuendos iniussu populi decerneret. Itaque sententia Caesaris, „hominis mitissimi atque lenissimi,“ iucundissima ironia perstringitur, a declamatoris alicuius ingenio toto coelo aliena. Libenter subscribo verbis viri doctissimi, *Baeumleinii*, in: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* 1838, N. 9: „Es lag im Interesse Cicero's, mit feiner Wendung Caesar *im Widerspruche mit dem Sempronischen Gesetze*, sowie mit der sogenannten populären Partei darzustellen, und Ref. gesteht, dass er in dieser Interpretation von Caesar's Rede den Geist und den Takt des Consuls wieder erkennt, der ihn den Antheil Caesar's an der Verschwörung entschieden ignoriren hiess.“ — Eandem significationem verbis Ciceronis inesse vidit Appianus, b. c. 2, 6: „*Γάϊός τε Καῖσαρ, οὐ καθαρεύων μὲν ὑπονοίας, μὴ συνεγνωκέναι τοῖς ἀνδράσι, Κικέρωνος δ' οὐ θαῤῥοῦντος καὶ τόνδε, ὑπεραρέσκοντα τῷ δήμῳ, ἐς τὸν ἀγῶνα προβάλλεσθαι — μέχρι Κάτων, ἤδη σαφῶς ἀνακαλύπτων τὴν ἐς τὸν Καίσαρα ὑποψίαν* κ. τ. λ.

Habita oratio Consularis, qua quid ipse et de facto iudicaret, et de poena censeret, non obscure Cicero intelligentibus significaverat, maxima tamen sententiarum studiorumque dissensione excepta est. Qui enim post Caesarem sententiam interrogati sunt, vel Consulis saluti vel incolumitati reipublicae metuentes, alius alii varie adsentiebantur (Sall. c. 52), adeo ut *Tiberius Nero*, quum ad eum sententiae dicendae ordo pervenisset, **) de tota re praesidiis additis,

*) *Quaestionum Ciceronianarum Partic.* II, p. 7.

**) *Tiberium Neronem*, quum Cicero ad dicendum surgeret, nondum suffragium tulisse, ex ipsa Ciceronis oratione apparet. (4, 4, 7: video, *duas adhuc* esse sententias: unam D. Silani — alteram C. Caesaris; 4, 7, 14: „*iaciuntur enim voces*, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii, etc.“ Errat igitur *Appianus* (2, 5), Tib. Neronem, qui et honoribus Caesare inferior esset, ante Caesarem ponens.

i. e. Catilina debellato, denuo referendum censeret. Quae sententia tanta approbatione excepta est, ut vel *Silanus*, iis quae antea de extremo supplicio rogaverat, quia mutare turpe putabat, interpretatione leniendis,*) in eam se discessurum declararet (Sall. c. 50). Tandem vero „*M. Porcius Cato*,**) tribunus plebis designatus, paene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in coniurationem, eo ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consilii suspectam fecit, sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis et commutatione status publici pericula exposuit, ita Consulis virtutem amplificavit, ut universus Senatus in eius sententiam transiret, animadvertendumque in cives maximo in scelere deprehensos censeret.“ (Vell. 2, 35.)

Sed quae hactenus de consilio et effectu orationis Ciceronianae disputavimus, vana sunt, *Ahrensio* iudice, omnia. Ita enim statuit: „omnia, quae memoria literarum conservata sunt, non posse inter se conciliari, nisi si Cicero de convictis et confessis coniurationis retulerit, Senatum cohortatione ad fortiter iudicandum excitarit iudicaritque ipse, *antequam Senatum consuleret*, postea vero, quod maioris

---

*) *Plut.* vit. Cic. 21: „*ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν αὖθις μεταβαλόμενον παραιτεῖσθαι καὶ λέγειν, ὡς οὐδ' αὐτὸς εἴποι θανατικὴν γνώμην, ἐσχάτην γὰρ ἀνδρὶ βουλευτῇ Ῥωμαίων εἶναι δίκην τὸ δεσμωτήριον.*“

**) *Plutarchus* quidem *Q. Lutatium Catulum*, virum consularem, iam ante Catonem consilii publici auctorem exstitisse narrat. (vit. Cic. 21: „*Εἰρημένης δὲ τῆς γνώμης πρῶτος ἀντέκρουσεν αὐτῇ Κάτλος Λουτάτιος, εἶτα δεξάμενος Κάτων.*“) Sed malui *Ciceronem* sequi, cuius haec sunt verba in or. pr. Sest. 28, 61: „Consule me, quum (M. Cato) esset designatus trib. pl., obtulit in discrimen vitam suam: dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat: dixit vehementer: egit acriter: ea quae sensit, prae se tulit: *dux*, *auctor*, *actor rerum illarum fuit.*“ *Q. Catulus* alius quidem consilii auctor fuit, quo Cicero parens patriae appellatus est (*or. in Pis.* 3, 6).

momenti est, nihil addiderit.“ (p. 58 et 59.) Quae qualia sint, breviter videamus. Nobis enim persuasum est, dicendi opportunitatem Ciceroni non initio relationis, sed postquam variae et discrepantes sententiae dictae fuerant, oblatam esse, de eaque oratione Consulari veteres scriptores omnes consentire.

Ahrensius licet recte statuerit, si Dionysio Halicarnassensi, si Livio, si ipsi Ciceroni fides habenda sit, non esse dubitandum, eos qui consulerent saepius accurata ac meditata oratione, quam nude et breviter, si e republica esset, retulisse; idem tamen intelligit, utilitatem reipublicae et momenta temporum haec aliquando aliter fieri coëgisse (p. 72). Quod si umquam, in hac certe caussa locum habebat. Nam quum Cicero convocato Senatu de poena coniuratorum referret, neque ipsius de rebus iis, quae notae omnibus et multis iam decretis superioribus iudicatae essent,*) exspectari poterat oratio, neque ipse habebat, cur Patres aliter quam de animadvertendo in reos suffragia laturos esse suspicaretur. Quam sententiam, a Silano dictam, quum omnes fortiter constanterque secuti essent, Caesaris extremum supplicium dissuadentis oratione tam vehementer commoti sunt, ut de ipsius Consulis salute pertimescerent. Itaque, vultu atque oculis in Consulem conversis, quid ipsi de tota re videretur, audire se velle satis aperte declarabant (Cat. 4, 1, 1). Quum vero etiam singulis ex ordine Senatorio liceret, „quotiens ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere relationemque in ea postulare“ *(Tac. Ann. 13,49):* tum profecto Ciceroni, qui vel Catilinae ad ea respondisset, quae ta-

*) *Cic. Cat.* 4, 3, 5: „Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt, vos multis iam iudiciis iudicastis, primum quod mihi — dedistis amplissima. Quae sunt omnia eiusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.“ — *Cat.* 4, 5, 10: „Iam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici praemium decrevit, quid de tota re et caussa iudicarit.“

citus postulare visus esset,*) caussa satis necessaria oblata erat et de sententiis adhuc latis iudicandi et Patrum animos a sui ipsius periculi cogitatione ad communem salutem convertendi.**) Idem tamen, quum hac oratione nihil novi retulisset totamque caussam, quamquam ipse de ea iudicaverat, Patrum arbitrio permisisset,***) quae tum in Senatu verba fecerat, et *orationis* et *relationis* nomine significare, de eaque re et se ipsum iudicasse et Patres iudicasse affirmare poterat.****) Ceterum Consulum inter referendum iudicantium non desunt apud veteres scriptores exempla, quorum unum, huic caussae quasi geminum, attulisse sufficiat. Literis *C. Caesaris* in Senatu recitatis quum Consules de rep. retulissent, ,,dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Marcellus, ingressus in eam orationem, non oportere ante de ea re ad Senatum referri, quam delectus tota Italia habiti et exercitus conscripti essent; ut M. Calidius, qui censebat — ut M. Rufus —: hi omnes convicio *L. Lentuli Consulis* conrepti exagitabantur. Lentulus sententiam Calidii pronunciaturum se omnino negavit. Marcellus, perterritus conviciis, a sua sententia discessit.

*) *Cic. Cat.* 1, 8, 20: „Refer, inquis, ad Senatum, id enim postulas, et si hic ordo sibi placere decreverit, te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam id. quod abhorret a meis moribus; sed tamen faciam, ut intellegas, quid hi de te sentiant.“ Ceterum h. l. *comma* post *id*, non post *referam* ponendum putavi. Nam id ipsum ,,*referre*“ non poterat abhorrere a moribus *Consulis*.

**) Non potest iniquius de oratione quarta iudicari quam *Ahrensius* fecit (p. 167): „Tu vero acerrime accusato oratorem, qui omnia ex suis molestiis perpendenda censet, qui iustitiae ne verbo quidem facit mentionem, qui in omnibus, quae dicit, immemor est, quam Consulatus ipsi personam gravem sanctamque imposuerit, et ne utilitatis quidem publicae habet rationem.“ Tota profecto reclamat oratio.

***) *Cic. Cat.* 4, 11, 23: ,,Habetis eum Consulem, qui parere vestris decretis non dubitet.“

****) *Cic. ad Att.* 1, 2: „Decima (oratio) in Senatu, Non. Dec.“ *Or. in Pis.* 7, 14: „Nam relatio illa salutaris et diligens fuerat Consulis; animadversio quidem et iudicium Senatus.“ *Ad Att.* 12, 21: „Quod — ipse iudicaverim.“

Sic vocibus Consulis, terrore praesentis exercitus, minis amicorum Pompei plerique compulsi, inviti et coacti Scipionis sententiam sequuntur." (Caes. de b. c. 1, 2.)

Reliquum est, ut *scriptorum veterum* de oratione Consulari Nonis Decembribus habita *testimonia* examinentur. Quibus non praeiudicata opinione inter se comparatis, facile, puto, apparebit, veteres scriptores omnes de hac oratione ita indicasse, ut eam quam nos tenemus, non aliam, deperditam illam, significarent.

Quum inter veteres, qui in hac caussa pro testimonio dixerunt, *Sallustius* desideretur: haec una *Ahrensio* satis gravis visa est caussa de veritate orationis dubitandi. Is enim quum ita iudicet, „fore aliquando, ut, falsis a Cicerone discretis, Sallustius pluris fiat a viris doctis, quibus adhuc dissensio offensioni fuit, ut, quod detraherent Sallustio, Ciceroni personato adderent" (p. 89), in unius huius fide totam disputationem suam voluit acquiescere (p. 152). Quod quo iure fecerit, non difficile erit ad existimandum ei, qui doctam et accuratam *Gerlachii de fide atque auctoritate Sallustii in coniuratione Catilinae enarranda* commentationem, in *maiore* eius *Sallustii editione* (Vol. II, p. 199—210) exhibitam, cognoverit. Constat enim Sallustium, qui id potissimum propositum haberet, ut interiorem et reconditam hominum indolem aperiret, saepe, externis factorum temporumque notationibus neglectis, ea tantum, quae ad summam rei pertinere viderentur, commemorasse. Quare quum multo etiam graviora quae ad Ciceronis laudes pertinent, gratias ei a Senatu verbis amplissimis actas, supplicationem eius nomine Diis immortalibus decretam (*Cic. Cat.* 3. 6), parentis patriae nomen ei inditum, denique, quo nihil honorificentius esse potuit, Consulatu abeuntis iusiurandum universi populi consensu approbatum (*Or. in Pis.* c. 3), quum igitur haec omnia a Sallustio praetermissa esse videamus: non est quod miremur, de actis illo die Consularibus verbo tantum ab

eo indicatum esse;*) quum praesertim non Ciceronis, qui sententiam suam ne approbavit quidem Patribus, sed Caesaris et Catonis partes primariae fuerint in poena coniuratorum decernenda. Neque alia de caussa praeclari illius praeconii, quo Cato Consulis virtutem atque diligentiam in coelum extulerat (Cic. ad Att. 12, 21. Vell. 2, 35), nulla est in oratione Catonis apud Sallustium commemoratio.

Iam in excitandis caussae, de qua agitur, testibus antiquis ita versabimur, ut, praetermissis *grammaticis* veteribus, qui plurimi ex ea, quae ad nostram aetatem pervenit, oratione dicta, vel commemorato vel oppresso auctoris nomine, retulerunt (*Ahrens.* p. 95 sqq.), aliam vero eiusdem diei nullis indiciis significaverunt, primum in sua caussa verissimum locupletissimumque testem, ipsum producamus *Ciceronem,* eique Graecos earundem rerum enarratores adiungamus.

Ciceronis testimonium duobus praecipue locis continetur, quorum altero illustrem sententiam ex ea, quae adhuc legitur, oratione repetivit, altero, quae suae partes in decernendo fuerint, ita exposuit, ut de nulla alia oratione cogitari posse videatur.

Prior locus legitur in epilogo *orationis Philippicae secundae (c. 46, §. 117): „Etenim si, abhinc annos prope viginti, hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse Consulari: quanto verius nunc negabo seni!“*

Oratio habita esse fingitur a. d. XIII. Kal. Oct. in *cella Concordiae* („in hac cella Concordiae, in qua me Consule salutares sententiae dictae sunt,“ 8, 19). Orator in proxime antecedentibus versatur in Consulatu suo, a. 691 gesto, cum Antonii Consulatu a. 710 comparando.**) Inter utrumque, ex ratione veterum terminum

*) Sall. c. 50: „Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato Senatu *refert,* quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant.“

**) *Cic. Phil.* 2, 46, 118: „Defendi remp. adulescens, non deseram senex: contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos.“

cipiendi in computando complectentium, *viginti anni* intersunt. Commemorata vero oratione Consulari, Nonis Decembr. habita, nondum expleto anno vigesimo, restringendi particula „*prope*“ rectissime est addita. Accedit, quod *hoc ipso in templo* iisdem verbis se usum esse dicit, quae leguntur in *or. Cat.* 4, 2, 3: „Nam neque turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura Consulari, nec misera sapienti.“ Ita profecto haec dicta congruunt, ut nihil possit magis. Quid igitur *Ahrensius?* Primum, neglecto illo duorum mensium intervallo,*) non *prope* viginti annos, sed *ipsos* annos viginti numerandos fuisse putat. Deinde restringendi particulam ita interpretatur, ut tempus sententiae dicendae non anno Consulatus Ciceroniani, sed anno proximo, Silano et Muraena Consulibus, fuisse statuat. Argutatur etiam in nomine *Consularis*, non reputans, Ciceroni furores tribunicios non Consuli, sed deposito demum Consulatu metuendos fuisse. Denique quum idem dictum a *Quintiliano***) et *M. Annaeo Seneca Rhetore*,***) paullulum immutatis verbis, ut fit in locis memoriter afferendis, repetatur, dictum illud nobilissimum ore famaque hominum in declamatoris sui notitiam venisse putat (p. 55). In quibus quantum sit hariolationis, non opus est pluribus demonstrare. Profecto non habebat Ahrensius, cur *Cassium Dionem*, qui et ipse hoc dictum ad Consulatus Ciceroniani tempus retulit,****) Graecae levitatis insimularet (p. 39).

---

*) Hunc Ahrensii errorem iam *Schnitzerus* notavit in *Quaestionum Ciceronianarum* Partic. II, p. 19. Ahrensius adeo sibi non constitit in ratione sua, ut Ciceronem et *diligentem* fuisse in temporibus definiendis et *non diligentem* affirmaret (p. 43 et 50).

**) *Quintil. inst. or.* 6, 3, 109: „Et est, quum ita dixit, neque *gravem* mortem accidere viro forti posse, neque immaturam Consulari, neque miseram sapienti.“

***) *M. Annaeus Seneca, Suasor.* 6: „Quod grandia loquitur, et dicit: mors nec immatura Consulari, nec misera sapienti.“

****) *Cassius Dio 45, 46:* „*Καὶ ὁ μὲν γὰρ θάνατος οὐκ ἂν ἄωρος, ἄλλως τε καὶ πρὸ τοσούτων ἐτῶν ὑπατευκότι μοι, γένοιτο· καίτοι μνημονεύετε, ὅτι τοῦτο καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ὑπατείᾳ ὑμῖν εἶπον.*“

In altero loco Cicero de actis in Senatu Nonis Dec. haec scripsit *ad Atticum* (12, 21, 1): „*Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit: quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse: quam omnes ante dixerant praeter Caesarem: et quum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, Consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, M'Acilii Glabrionis,*) Silani, Muraenae, designatorum Consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique, antequam consulerem, ipse iudicaverim. Quae omnia quia Cato laudibus extulerat in coelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit „„optimum Consulem.““ Quis enim ieiunius dixit inimicus?*“

Qui h. l. a Cicerone notantur Bruti errores, eos primum non in epistola ad Atticum rescripta, sed in libro eo, quem contra Caesaris et Hirtii eiusdem argumenti libros *de laudibus Catonis**)* scripserat, commisisse putandus est. In quo libro quum Attico nonnulla aut omissa visa essent, aut falso tradita, Brutus ei ad haec quae

---

*) Vulgaris scriptura „etiam M' Glabrionis“ hoc habet incommodi, quod ita non duo Consules designati, sed tres nominari videantur. Iam quum in Codd. etiam alia scriptura „M. Annii Glabr.“ exstet, ego, omisso voc. *etiam*, verum nomen reponendum putavi. Consul fuit a. 687, collega C. Calpurnio Pisone.

**) Eiusdem libri mentio facta est in *ep. ad Attic.* (13, 46): Multa de *meo Catone*, quo saepissime legendo se dicit copiosiorem factum, *Bruti Catone* lecto se sibi visum disertum.“ A *Suetonio* in *vita Aug.* (c. 85) rescripta (ab Augusto) Bruto de Catone commemorantur.

requisiverat*) ita rescripserat, ut nec Attico, nec Ciceroni satisfaceret. Videtur autem Brutus in libro suo nimium Catoni, avunculo suo, tribuisse. Hunc enim ut Cicero rerum illarum, quae Nonis Dec. in Senatu gestae sunt, auctorem actoremque fuisse ultro concesserit, eundem tamen a Bruto ita laudari, quasi suae in poena coniuratorum decernenda partes plane nullae fuissent, aegre ferebat. Sed in his Bruti erroribus, in epistola ad amicum, et ipsum harum rerum satis gnarum, refellendis aperte ita versatus est, ut ordinem rerum non observaret. Nam qui primi sententiam rogati fuerant, Silanus et Muraena, Consules designati, ii, non ordinis, sed dignitatis ratione habita, post viros Consulares nominantur. Sceleris autem *patefactio* iam biduo ante per indicia Allobrogum in Senatu peracta fuerat.**) Quae quidem quum nihil pertineat ad relationem, apertum est, Ciceronem etiam *cohortationem* Patrum et *iudicationem sententiarum* a relatione, convocato Senatu a se instituta, discerni voluisse. Quid quod, sententiis nondum latis, ne fieri quidem potuit iudicatio?***) Et *relatum* esse a Consule, id quidem etiam non postulante Catone in SCto necessario erat perscribendum. Quod denique a se iudicatum esse dicit, *antequam consuleret*, id ad unum pertinet *Catonem*, qui quum ea laudibus in coelum efferret perscribendaque censeret, quae, antequam ipse sententiam rogaretur, a Consule et cohortandi et

---

*) *Requirimus* ea, quae abesse querimur et desideramus. *(Forcell.)* Conferri potest locus in *orat. pr. Ligar.* 11, 33: „atque his irascebamur, hos requirebamus", i. e. in nostris partibus aegre desiderabamus.

**) *Cic. pr. Mil.* 37,103: „Quodnam ego concepi tantum scelus — quum illa indicia communis exitii indagavi, *patefeci*, protuli, exstinxi?"

***) *Wielandus*, qui de hac comparatione et iudicatione sententiarum Silani et Caesaris non cogitaret, verborum *quod denique — ipse iudicaverim* sensum mirum in modum expressit: „und vornehmlich, dass, bevor ich den Senat stimmen liess, das Urtheil in mir selbst bereits festgesetzt war."

iudicandi caussa dicta essent, id effecit, ut in eandem sententiam discessio fieret, quam designati Consules et Consulares omnes non potuerant perferre.

Superest, ut *Graeci testes* producantur, quos, quoniam in eandem fere sententiam professi sunt, primum singulos audiamus; deinde, quid ex eorum indiciis colligi possit, comparatione facta, iudicabimus. Haec igitur pro testimonio dicunt.

Plutarchus in *vita Ciceronis*, c. 21: „*Οὔσης δὲ τῆς γνώμης (τοῦ Καίσαρος) ἐπιεικοῦς καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δυνατωτάτου, ῥοπὴν ὁ Κικέρων προςέθηκεν οὐ μικράν· αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών, οἵ τε φίλοι πάντες, οἰόμενοι τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην (ἧττον γὰρ ἐν αἰτίαις ἔσεσθαι μὴ θανατώσαντα τοὺς ἄνδρας), ᾑροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην, ὥστε καὶ τὸν Σιλανόν κ. τ. λ.*“

Appianus de bell. civ. 2, 6: „*Δικαίου δὲ τῆς γνώμης φανείσης καὶ δεχθείσης, ἀκρατῶς οἱ πολλοὶ μετετίθεντο· μέχρι Κάτων, ἤδη σαφῶς ἀνακαλύπτων τὴν ἐς τὸν Καίσαρα ὑποψίαν, καὶ ὁ Κικέρων, δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ, μὴ τὸ συνεγνωκὸς τοῖς ἀνδράσι πλῆθος, αἰωρούμενον ἔτι κατ᾽ ἀγορὰν, καὶ δεδιὸς περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ ἐκείνων, ἐργάσηταί τι ἄτοπον, ἔπεισαν, ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι.*“

Cassius Dio histor. Rom. lib. 37, 35: „*Αὐτὸς δὲ (ὁ Κικέρων) ἐν τούτῳ τὴν βουλὴν ἤθροισε, καὶ σφᾶς συνταράξας τε καὶ ἐκφοβήσας, ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι.* C. 36. *Ἐγένοντο μὲν γὰρ ἀμφίβολοι, καὶ παρ᾽ ὀλίγον αὐτοὺς ἀπέλυσαν. Ὁ γὰρ Καῖσαρ, κ. τ. λ.*“

Testibus Graecis, quorum alioquin non summa est auctoritas, in hac certe caussa eo maior fides habenda videtur, quod de summa rei consentiunt. Et *Plutarchus* quidem, quid a Cicerone in historia Consulatus sui Graece scripta omissum sit, indicans, satis aperte testatur, se rerum gestarum memoriam, ab ipso auctore conditam,

aliorum narrationibus praetulisse.*) Quod Ciceronem dicit, quum in utramque partem disputaret, non exiguum momentum sententiae Caesaris addidisse, id non de argumento et consilio orationis, sed de eventu intelligendum est. Constat enim, eos qui Consuli consultum vellent, Caesaris sententiam, quam ei salutarem esse putarent, eo maiore studio amplexos esse, quo fortiore animo ipse declaraverat, se reipublicae incolumitatem suae saluti praeferre. *Appianus*, Catonem ante Ciceronem nominans, hoc indicasse videtur, illius partes in supplicio coniuratorum decernendo fuisse primarias. *Cassius Dio* Ciceronianae orationis ita mentionem fecit, ut eam Caesaris sententia provocatam esse significaret.

Atque haec de caussa sufficiant, in qua nobis id probasse videmur, praeclare constare omnia, si oratio ea, quae hodie quarta in Catilinam fertur, pro illa ipsa oratione habeatur, qua Cicero Nonis Dec. Patrum sententias interpellavit. Sed de totius quaestionis a nobis institutae veritate penes alios erit iudicare. In qua quum multa insint, quae aliorum doctrinae atque acumini debeantur, nonnulla etiam, quae quum ipsi in schedulis nostris conscripsissemus, postea ab aliis, libris eorum ad nos perlatis, iam esse occupata vidimus: aequos ac benevolos lectores rogatos volumus, non, ut quam nove haec a nobis, sed quam utiliter disputata sint, considerare velint, quoniam quidem et nos scripsimus *adulescentulorum studiis excitati*.

---

*) V. *Heeren*. de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi, p. 185.